IOHANNES DE TURRECREMATA

Süddeutscher Raum, 1477 Seite 157r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



negatur vere penitentibus

Dicant nunc laudes deo qui redempti sunt a domino a quibuscumque periculis / de manu inimici eos / affligentes / al' affligentis de regionibus ubi erant dispersi congregauit eos in terram suam / s' iudeam

Congregauit quidem eos A solis ortu et occasu ab aquilone et ab austro / quatuor climatibus mundi

Erraverunt in solitudine ubi non erat aqua erraverunt / quia non inuenerunt stratam ducentem ad aliquam ciuitatem habitabilem / ubi possent habitare / quia in desertis non sunt tales vie

Et quia errabant in locis desertis ubi est inopia victualium secutum est / quod in tantum Esurientes et sitientes redderentur ut virtus eorum deficeret

Et quia anima .i. virtus eorum per inopia deficiebat / ideo coacti clamauerunt ad dominum cum tribularentur errore et fame ut liberaret eos / et de malis eorum inevitabilibus eripuit eos

Eripuit eos dico / quia Eduxit eos in viam rectam sua prouidentia / non humana / ut irent in ciuitatem habitacionis in qua possent habitare secure / et de victualibus prouidere

De quibus beneficiis gratias agens / ait Confiteantur domino confessione laudis homines / quibus facte sunt misericordie dei et filii hominum quibus mirabilia dei sunt exhibita

Ideo debent deum laudare / quia non solum duxit in viam rectam sed eos etiam a fame liberauit

Quia saciauit animam debilitatem ex deuio itineris / et animam esurientem saciauit bonis

Ideo etiam laudare debent deum / quia liberauit miraculose captiuos Sedentes in tenebrosis locis / que habent umbram mortis / vinctos .i. afflictos duricia cathenarum et austeritate et paupertate victus